

hominem ignorare se ipsum, & ab hoc sanari debes.

182. Et tu lector agnosces, quo tandem abeant amicæ illæ hortationes sapientum hujus mundi de præjudiciis sine discrimine ponendis. Nectantum Religionis, sed totius vitæ civilis fundamenta subvertunt, qui societatem tamen velut idolum unicum adorare se profitentur, & hujus commodis carneis spiritum, religionem, DEUM sacrificant.

CIRCA QUÆ?

Sive, in qua materia rationes metaphysicæ &c. præmittende sunt iudicio, ne sit præjudicium?

183. **H**ortatores illi ancipites nos relinquunt, nec ipsi facile determinant materiam, in qua necesse sit præmittere rationes intrinsecas, aut in qua illud necesse non sit?

184. Videntur tamen potius velle, ut in omni materia id fiat, quia loquuntur plerumque generatim sine exceptione. Faciamus rei periculum.

185. *Primo*, estne certitudo rationum physicarum, ac metaphysicarum premittenda in *rebus quotidianis* ad vitam pertinentibus? *Et quidni?* *Homo enim factus est ad*

se nutriendum, vestiendum, dormendum & reliquias actiones vitæ, modo, ne ad contemplandum DEUM, ut primus invenit auctor spiritus legum. Igitur finis hominis consistit in se nutriendo &c. Quid autem magis interest hominis, quam attingere finem suum, ad quem natus factusque est? In re autem tanti momenti necesse est non errare, necesse est sanum esse. Præjudicia sunt morbus. Igitur in nutriendo, veste, somnoque capiendo, necesse est præjudicia non habere.

At præjudicium est, si judicas antequam rationes physicas aut metaphysicas teneas: multo pejus est, si non judices modo sic, sed etiam reipsa secundum tale præjudicium agas & vivas. Igitur cibum, vestem, somnum capere, alia quotidiana agere, nisi prius teneas rationes metaphysicas, præjudicium est, morbus est, pellendum quamprimum.

186. Offert tibi servus aliquid, quod dicit esse panem. Judicasne tu, hunc esse panem? Non sane debes ita esse in judicando præcepis. Edic jam serve, unde demonstres, hunc esse panem? Jubebit te ille aspicere, palpare manu, olfactu explorare. At tu: sensuum hæc ludibriæ sunt, quis scit, num illudere mihi velis? metaphysicas ex te volo rationes

tiones, aut physicas, hunc esse panem. Sensus tantum ad singulæ feruntur: singulæ non cadunt sub demonstrationem, non sunt fixa, fluunt, transeunt, metaphysicam volo connexionem: alias, quomodo hoc, quod panem dicis, vescar? Factus sum ad me nutriendum: si hic non est panis, non servit ad finem meum: non possum exponere periculo finem meum: non possum judicare hunc esse panem, minus possum eundem reipsa sumere. Præjudicio enormi me obstringerem, si tua auctoritate, qui servus es, starem in re tanta.

187. Idem autem contingere homini debet in quovis cibî ac potu genere, ne pro vino toxicum, pro pharmaco bibat mortem, pro veste induat Nessi tunicam, pro myrothecio aperiat Pandoræ pixidem, pro lecto se conjiciat in fossam, ne pro equo admittat Sinonis fraude tectos hostes, pro pisce scorponem.

Eodem modo nemo se componet ad somnum, nisi prius demonstratum ipsi sit, hunc somnum sibi serviturum ad vitam, & se de illo somno surrecturum vivum. Sic nemo urinam (amentis illius ritu) mittet, metu, ne cum illa effluat anima, aut ne tota civitas inundetur: nemo enim rationibus metaphysicis illi facile

sive hoc, sive aliud demonstrabit.

188. Hæc si valent, debebimus pro domibus deinceps ædificare morotrophia, & mundus totus ex hac philosophia paulo post erit unum grande morotrophium. Adeo sunt misera istorum sapientum, si superis placet, principia, & vagrandis sapientæ fundamenta.

189. Secundo videamus, num certitudo rationum Physica, aut metaphysica habenda ante iudicium, & actionem sit in *rebus civilibus*, in mercatu, in foro judicario, connubiis, parentela, servitiis, principatibus, bellis, in agricultura, venatu?

190. Evidem in universum existimo (quamvis hoc mihi mathematice demonstratum non sit) universum mortalium genus risu, & fannis excepturum esse hominem, qui hoc contenderet. Propterea que derisi sunt philosophi, qui aliquid huic stultitiae simile somniarunt, quibus fœnum pro pane porrixerunt eorum derisores.

191. Si quis nihil emat, quod non physice sit demonstratum; si quis nullam, nisi hoc modo, plantet arborem; nullum agnoscat filium suum, nisi ita demonstratum; si nullam à iudice accipiat sententiam, nisi mathematice demon-

40 *Sectio III. Quid intelligere aliqui videantur per Prejudicium?*

monstratam; si magistratus nullum suspendat furem, nisi metaphysice certum; si populus nullum audiat principem, nullum principis mandatum agnoscat, nisi metaphysice certus: Vale societas, vale idolum naturalistarum, & Politicorum unicum, valete commoda hujus vitae: ad nosocomium veteres migrate coloni, & novis istis mundum pro magno nosocomio relinque.

192. *Tertio*, num in *rebus moratis*, in bono & malo, justo & injusto, in *Jure naturae* præmittenda sit judicio certitudo rationum intrinsecarum, excludenda vero auctoritas? jam nimis diffuse à nobis disputatum est tribus aliis locis, nempe in *Larva detracta*, & in *Jure Naturae*, & in *Hypodigmate Politico*, eorum sententiam, qui in jure naturae moderno non facto volunt sola ratione, præclusa auctoritate, utendum esse, periculosam civitatis, & magistratibus fabam cedere.

Sensui communi repugnant ista, & hoc satis est, ut nemo ita sentiat, ut isti.

193. Qui vero hoc tentarunt, & apodicticas, ut Puffendorfius, ac mathematicas ut Wolffius, demonstrationes promiserunt harum rerum, ii miserandum orbi spectaculum præbuerunt, cuius

aliquam scenam nos etiam exhibuimus in *Larva detracta* Cap. XVI. & XVII. & in *Diatrībe de Methodo Wolffiana*.

194. Supereft *Quarto*, ut rationes metaphysicæ, aut physicæ judiciis præmitti debeant in materia religionis?

Evidem eruditissimus Laminus Pritanius, qui semper *regnum rationis hodiernum* cum admiratione suscepit, in libro de *Moderamine ingeniorum in negotio religionis*, magno conatu pro *Ratione ejusque regno pugnavit*, & rationem jussit ire ante fidem, seu ante judicium, quo assentimur credendis.

Verum, is non pugnavit pro ratione intrinseca Physica, aut metaphysica, sed pro extrinseca, hoc est pro *ratione credendi*, non pro ratione sciendi: ratio autem credendi est ipsa auctoritas. Igitur Muratorius non voluit ante fidem divinam præmitti rationem intrinsecam, sed aliam fidem disponentem, nixam nimirum experientia & sensu communi. Vid. de his copiose *Jus nature* Cap. VIII. Them. XI.

195. *Qui velit ingenio cedere, nullus erit.* Nulla ergo erit religio, si ingenio res decernenda est, aut tot erunt, quot capita, religiones. Sunt vero multi, qui seposito ingenii certamine cedant

41 *Sectio III. Quid intelligere aliqui videantur per Prejudicium?*

dant auctoritati. Et facilius est etiam mediocribus, discernere auctoritatem ab auctoritate, quam rationem à ratione. Auctoritate vivendum nobis esse, sentimus non tam quotidie, quam in singula momenta; ratione intrinseca nobis vivendum vix pauci sentiunt. At religio, quæ ab omnibus agnoscitur esse medicina, quies, & salus animæ, & debitum servitutis, hæc religio, inquam, necessaria est omnibus, non tantum doctis, sed indoctis. Igitur religio potius ab auctoritate pendet, quam à ratione intrinseca.

196. Sicut cum lis aliqua per diversas, quas vocant, Instantias trahitur, & varie reformatur, aut confirmatur, pauci forte intelligunt, utræ rationes fortiores sint, an reformantium five corrigitum sententiam primam, an eam confirmantium; utra porro auctoritas potior sit, neminem latet vel parum attentum. Rationum pugna semper infinita erit, auctoritatis saltem finita dubitatio est.

197. Quare, qui jubent nos nihil affirmare religiosum, donec rationes intrinsecas finitas, ac evidentes habeamus, illi nos jubent nunquam affirmare quidquam religiosum, hoc est, jubent nos esse sine religione usque in alteram vitam.

QUIBUS AUXILIIS Possimus rationes intrinsecas certas obtinere ante iudicium, ne iudicium sit prejdicium?

198. *Qui nos hortantur alii quid facere, quod difficile sit, ii debent nobis præbere auxilia ad id faciendum, aut saltem indicare, unde repeterem auxilia possimus.*

199. Ejusmodi auxilia nobis promiserunt veteres Philosophi, sed debilia; & hi ridentur à novis.

200. Præbuere auxilia philosophi novi, Cartesius, Gassendus, Mallebranchius, Lokius: sed inter se pugnant de iisdem auxiliis.

201. Auxilia præbuere Leibnitus, Puffendorfius, Thomasius, Heineccius, Wolffius, sed falacia.

202. Auxilia præbtere spondit auctor spiritus legum, sed auxilia nobis præbuit terrea tanquam plantis, & carnea tanquam canibus, nempe *clima omnium dominum*.

203. Wolffius ad hoc methodum invenit scientificam, sed quæne methodus quidem sit, ut ostendimus in *Diatrībe*.